

Item, quod si aliquis fecerit assaltum cum armis contra aliquem ad suam domum cum proposito et voluntate ipsum offendendi, cadat ad penam de bisanciis de Rodo C, et si faciet vulnus, quod sanguis exeat, cadat ad penam de bisanciis de Rodo CCC, et si ille, qui erit assaltatus se defendet, et illum, qui fecerit dictum assaltum, occiderit, ad aliquam penam non teneatur.

Item, quod qui vulneraverit aliquem seu aliquam cum massa vel lapide in capite, cadat ad penam de bisanciis de Rodo C, et si in aliis locis corporis, de bisanciis de Rodo XXV.

Item, qui evaginaverit ensem vel cultellum seu alia arma contra aliquem seu aliquam in curia Rodi, iudice in eadem existente, cadat ad penam duplam.

Item, qui evaginaverit ensem vel cultellum seu aliqua alia arma et cum ipsis, ense, cultello vel armis vulneraverit aliquem vel aliquam in curia Rodi, iudice in eadem existente, cadat ad penam duplam.

Item, quod si aliquis verberaverit aliquem vel aliquam, quod faciat ei livorem, cadat ad penam de bisanciis XXV, et si non poterit solvere, quod fustigetur per burgum Rodi.

Item, qui verberaverit aliquem seu aliquam sine livore vel sanguine, cadat ad penam de bisanciis XV, et si dicta verberatio erit de paupere ad pauperem, cadat ad penam solum de bisanciis V.

Item, qui dabit alicui alapam seu pignatam in facie vel capite seu collo, cadat ad penam de bisanciis L, et de paupere ad pauperem de bisanciis V, et si non poterit solvere, fustigetur¹⁾ per burgum Rodi.

Item, qui taliter vulneraverit aliquem seu aliquam, quod perdat membrum, cadat ad penam de bisanciis de Rodo CCCC, cuius pene perveniat medietas domino, alia vero medietas vulnerato, seu qui perdiderit ipsum membrum, et si non possit solvere dictam penam, quod stare debeat in carcere, quousque habebit pacem et concordiam cum dictis domino et vulnerato.

Item, quod vir seu femina pro primo furtu minoris quantitatis unius marche argenti fustigetur²⁾ per burgum Rodi.

Item, quod pro secundo furto minoris quantitatis unius marche merchetur³⁾ in fronte.

Item, quod pro tertio furto ascendente cum primis furtis ad summam unius marche argenti, suspendatur per gulam taliter, ut moriatur.

Item, qui occiderit vel mortem alicui dabit, caput ei amputetur taliter, ut moriatur.

Item, qui male dicet de Deo vel de suis sanctis, cadat ad penam de bisanciis de Rodo XXV, et qui accusaverit ipsum,

1) 'frustigetur' Hs. 2) 'frustigetur' Hs. 3) merchare (von marca) = zeichnen.